

Jura autem Episcopalia in locis istis decimalibus ipsum retinuisse, successorum ejus gesta in clara luce collocant. Decimas Fuldense Monasterium habuisse Cl. Schannatus probat duobus monumentis, quæ inter Probationes operis ejus n. VI. et VIII. extant. Primum est *Charta Hattonis I. Abbatissimae Fuldensis*, qua de bonis quibusdam ac decimis Ecclesiæ sue attinentibus in favorem pauperum disponit. In ea Hatto inquit: cernens paucitatem prediorum et decimationum, quæ ad Portam Monasterii Fuldensis pertinebant, ad sustentandos et refrigerandos hospites et pauperes Christi non posse sufficere; Papam Leonem adivi, et Lotharium Imperatorem, et cum auctoritate eorum et permissione, ista prædia, quæ subscripta sunt, ad recreandos hospites concessi, quam concessionem Papa Leo, banno suo, et Lotharius Imperator precepto suo confirmarunt, ut, si quis de ipsis bonis sibi aliquid usurparit præter procuratores hospitum, anathema sit, et reus regiae Majestatis; Recensentur deinde prædia et una decimatio in villa Echicila, postea vero additur: Factæ sunt autem istæ Traditiones et confirmationes anno Dominicæ Incarnationis DCCCLII. Indict. XV. Regnante Lothario Imperatore etc. Vox Bannus pro excommunicatione hoc ævo rarissime occurrit, nec in rebus minoris momenti, qualis hæc prædiorum donatio erat, adhibebatur; et ridiculum est, reum Majestatis regiæ declaratum, qui de ipsis aliquid usurpaverit. Cur autem Leonem Papam et Lotharium Imperatorem adiit Hatto, ab iisque veniam, donationem hanc faciendi, petiit, qui, si monachi sui consentirent, hoc per se exequi poterat? Cur Lotharium Imperatorem adiit, qui post Pactum Virdunense et divisionem regnorum, quam anno 843. cum fratribus Ludovico et Carolo Regibus iniit, ne hilum quidem juris aut potestatis in Germania habuit, ut vel pueri norunt? Ludovicus Rex Germaniæ adeundus fuisset. Hic solus et unicus Fuldensis territorii dominus erat, nec parem aut majorem in regno suo ferebat. Noverit enim Cl. Schannatus, eundem ideo Rabanum Abbatem anno 842. Monasterio expulisse, et ejus loco Hattonem Abbatem constitutum fuisse, quod Rabanus Lothario Imperatori favisset. Jam ipse, qua est perspicacia, clare videbit, Chartam hanc Hattonis supposititiam et confictam esse.

XV. Alterum monumentum, quo Decimas Fuldense Monasterium in Thuringia habuisse Cl. Schannarus probat, est *Diploma Ludovici Regis Germaniæ*, quo decimæ fidelium per Thuringiam, aliasque plures provincias adversus Liuperdum [Liutbertum] Mogontinæ Sedis Primate Sigehardo Abbatii Fuldensi adjudicantur. Ex autographo illud se edidisse profiteatur. Incipit: *In Nomine Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi.* Hac vero formula non Ludovicus Germanicus, sed Ludovicus Pius, pater ejus, usus est. Ludovicus Germanicus formulam *In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis* constanter adhibuit. Titulus Ludovici hic est: *Ludevvcus propiciante clementia Dei Rex*, quem tamen hic nunquam sibi tribuit, sed semper se *Hludovicum divina favente gratia* vel *clementia Regem* nominavit. Ingens Diplomatū numerus, quem partim ipse in autographis vidi, hoc demonstrat, nec quisquam hac in re mihi non fidet, cum et Mabillonius jam idem observarit. In Diplomate ipso Decimæ Fuldensis Ecclesiæ longo ordine recensentur in pagis *Thuringia, Wormaciensi, Rhenensi, Wetereiba, Hassia, Monihgovve, Loganaha, Salegovve et Graphelt* sitæ, et confirmantur. Dioecesis Archiepiscopi Moguntini usque in pagos *Salegovve et Graphelt* extensam non fuisse, certum est. Unde omnes Decimas Fuldensis Ecclesiæ hic confirmari, etiam in aliis Dioecesibus jacentes, conjicias; simul